



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Modus eluendi maculam tristitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

uitia & detractioe, diffringunt.

Tertiò, amaritudo initium habet *Tertius*
ex inuidia, qua aduersum alios fla- *fons.*
grant, adeoq; ex bonis eorum ope-
ribus contristantur & affliguntur:
omniaque quantumuis præclara in
malam partem interpretantur.

Quartò, amaritudo hæc oritur ex *Quartus*
desiderio propriæ cõplacentiæ, dũ *fons.*
nimirum supra cæteros laudari &
honorari appetunt, atq; si alios sibi
præferri, aut amplioribus honori-
bus affici cõspiciant, perturbantur.

Quintò denique à propria peruer- *Quintus*
sitate & malitia nascitur, cum quis *fons.*
ipse facinorosus, flagitijsq; plenus
existens, alios similiter tales esse
iudicat, omnesque sui similes, aut
etiam peiores esse desiderat.

*Modus eluendi maculam tri-
stitiæ cordis.*

VT remedium huic vitio adhi-
beatur, opus est quinos illos fon-
tes, è quibus originem habet, per-
purgare: ac proinde iuxta nume-
rum fontium, è quibus hæc macula

E 7 scatu-

HO SPECVLVM ANIMAE
scaturit, totidem quoq; modos eam
mundandi statuemus.

*Operum
nostrorum
vilitas.*

PRIMVS modus est: Confide-
rare operum nostrorum exiguum
aut penè nullū valorem: & nostram
vilitatem, atque omnes nobis præ-
ferre, operaque eorum nostris me-
liora esse, iudicare.

*Mortifica-
tionis & hu-
militatis
commoda.*

SECUNDVS est: Nostri ipsorum
mortificationi studere, & su-
perioribus in omnibus nos subij-
cere, non tantū non murmurando,
sed etiam omnem illis reueren-
tiam & obedientiam deferendo, il-
losq; rogando vt nos mortificare,
castigare, ac deprimere velint, dūq;
hoc faciūt, eis gratias agere, & nos
omni confusione dignos arbitrari.

*Invidia vt
tollatur.*

TERTIVS est, his quibus inui-
demus, benefacere, Deumque pro
illis rogare, ac cauere, ne de illis
vnquā malè loquamur, nec illis qui
de illis sinistrè sentiunt & loquun-
tur aures faciles præbeamus: sed ab
aliorum calumnijs illos defendamus,
atque in omnibus eos laudabi-
les prædicemus.

QVARTVS

PARS PRIMA. III

QUARTVS est, eisdem vti remedijs quibus vanam gloriam profligandam esse docuimus: vt alios laude, nos verò omni vituperio & confusione dignissimos reputemus.

QVINTVS est: Mores corrigere, vitæ prauitati nuncium remittere, sanctarum virtutum exercitijs nos dedere, & speciatim in dilectionis exercitijs, & Dei, ac proximi amore nos exercitare: Quod fuerit remedium optimum omnes has amaritudines è corde auferendi: neque enim fieri poterit, vt hæ maculæ de corde perfectè abluantur ac deleantur, nisi prius cor suauitate ac dulcedine diuini amoris repletum fuerit. Quo facto facillimè delebuntur.

*De cogitationibus & operationibus intellectualibus,
Macula XIV.*

CAPVT XV.

DILIGES Dominum Deum tuum, & Luc. 10.
proximum tuum sicut teipsum. Hæc
fuit